

1^m *Quæ*s. Attamen juxta *S. Lig. probabiliter* satisfaceret, dicendo : *Pecavi cum consanguinea*. Licet autem minime mihi placeat hæc sententia, attamen, cum sit tanti Doctoris, eam sequentes damnare non possum.

465. — *Ad 2^m casum*. Quid tibi videtur de *ÆGIDIO*? Res difficultate non caret. Ex una parte non apparet quod peccatum suum in specie declarare possit, quin præfatas circumstantias manifestet. Attamen, juxta plures, seorsim utrumque peccatum confiteri valeret, scilicet gravem sororis percussione, et abortum mulieris procuratum. Nec dicas quod sic omitteret circumstantiam specificam consanguinitatis quoad fœtum occisum; nam, *probabiliter*, mala tractatio cognatorum non inducit speciem novam peccati, nisi agatur de consanguineis lineæ rectæ in primo et secundo gradu, ut dictum est supra *n. 457*. Porro infans occisus, seu filius sororis, est in tertio gradu consanguinitatis lineæ collateralis, et proinde erga eum non specificè læditur virtus pietatis. *Lugo, D. 16, n. 298 et seq. — Salmant, etc.*

Igitur, si loco sororis *ÆGIDIUS* percussisset matrem viduam, per crimen gravidam, ex difficultate se extricare non posset, et omnes circumstantias declarare deberet.

CASUS XIV.

INQUISITIO DE NOMINE COMPLICIS.

1^o *THERSILIA* accedit ad *RUFINUM*, Confessarium, et de peccato gravi consortii cum aliquo viro se accusat. Tum *RUFINUS*. « Estne cognatus « tuus ille? — Sane in Adamo. — Estne proximus? — Utique, de proximo « meo. — Est vicinus? — Plus vel minus. — Quis est igitur ille? Quo- « modo vocatur? — Vocatur eo nomine quòd in baptismo sortitus est. — « Insolescis, proterva mulier! Vade : te absolvere nequeo, quia assequi « non possum quænam et quanta sit occasio peccandi in qua versaris. »

2^o *JULIUS*, vir in regione sua conspicuus, eidem *RUFINO* confitendo, se accusat de peccato turpi pluries patrato cum aliqua muliere. Audivit autem *RUFINUS*, *JULIUM* male olim versatum esse cum propria ancilla, quam propterea dimittere coactus est. Hinc suspicatur graviter, pœnitentem cum nova famula peccasse et proinde adesse occasionem *proximam in esse*. Igitur interrogat : « Estne serva? — libera, reponit alter. — Estne fa- « mula? — Est famula Dei, de genere filiarum Evæ. — Sed habitatne « in domo tua? — Sed, Pater, hoc ad confessionem pertinere non vide- « tur, » reponit iterum *JULIUS*. — Confessarius autem, cum non potue- rit plura a pœnitente extorquere, eum, licet ægre, absolvit et dimittit.

HINC :

- QUÆR.* 1^o *An liceat Confessario petere nomen complicis?*
 2^o *An id liceat saltem ad correctionem, vel bonum publicum?*
 3^o *An vero liceat Confessario inquirere de circumstantiis, ex quibus in notitiam complicis deveniet?*
 4^o *Quid de RUFINO Confessario in duplici casu?*

SOLUTIO :

466. — *R. ad 1^m Quæ*s. *Neg.* Constat ex Bulla *Bened. XIV : Ubi primum*, in qua Summus Pontifex declarat Confessarios, qui requirunt nomen complicitis sub pœna denegandæ absolutionis, peccare graviter, et eos incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendæ sententiæ tantum. *V. S. Lig. n. 491.*

467. — *R. ad 2^m Quæ*s. 1^o Non licet ad correctionem, quia prohibitio est generalis, severa et absoluta. Præterea, illa correctio semper Sacramentum Pœnitentiæ odiosum redderet.

2^o Neque licet etiam ratione boni publici procurandi, ob eandem rationem. Sed, ubi agitur de damno publico impediendo, potest et debet Confessarius, ommissa interrogatione de nomine complicitis, obligare pœnitentem ut ipse manifestet suum complicem alicui, a quo malum impedi potest. *S. Lig. n. 491-492.* Liceret tamen petere nomen complicitis, si revelatio esset necessaria, nec per alium quam per Confessarium fieri posset. *Lugo, de Penit., D. 17, n. 427 et seq.*

468. — *R. ad 3^m Quæ*s. *Affirm.* quoties interrogatio spectat ad integritatem confessionis, vel ad debitam pœnitentis directionem. Imo sæpe tales interrogationes facere debet, ut munus suum rite adimpleat : sic, v. g. petere potest an persona de qua agitur sit in primo vel secundo gradu consanguinitatis, ut peccati speciem discernat; an sit voto ligata, an complex in eadem domo versetur, et alia similia, licet hoc modo in cognitionem complicitis veniat. *S. Lig. n. 491.*

469. — *R. ad 4^m Quæ*s. — *Ad 1^m casum* *RUFINUS* graviter peccavit *per se*, ut constat ex responsione ad 1^m *Quæ*s. Attamen ejus imprudens interrogatio a peccato mortali excusaretur, si non postulasset nomen sub pœna denegandæ absolutionis.

Ad 2^m casum. Potuit et debuit *RUFINUS*, stante casu, *JULIUM* speciatim interrogare de qualitate occasionis, ut sciret an esset occasio *proxima*, vel occasio *in esse*, seu in eodem contubernio; quia ex his Confessarius dirigitur ad absolutionem dandam vel differendam, aut ad pœnitentem magis vel minus urgendum, ut statim occasionem etiam ante absolutionem dimittat. Ergo recte non egit *RUFINUS* absolvendo *JULIUM*, naturam occasionis patefacere nolentem.

CASUS XV.

PECCATA EX OBLIVIONE OMISSA 1^o.

ROSALIA, recordans de peccato gravi in confessione modo peracta omisso, nihilominus ad sacram Synaxim accedit, et in sequenti confessione casum *SEVERINO*, Confessario, exponit. At ille : « Scitò, filia; inquit, horrendum esse si quis accedat ad sacram Synaxim, conscius peccati gravis in confessione non declarati, teque damnandam fore si tanto salutis discrimini te iterum committas, neque hac vice te absolvere valeo. » — Obstupefacta mulier recta perguit ad alium Sacerdotem, *BENIGNUM*

scilicet, quærens utrum revera casus damnationis foret : « Minime gentium, inquit ille, scias te in nullo casu teneri ad confitendum ante Communionem quodlibet peccatum involuntarie omissum. » — « Velis igitur, quæso, ait ROSALIA, peccati hujus absolutionem mihi impertire. » « Nequaquam, reponit BENIGNUS; absolutione enim minime indiges, quia jam dimissum est hoc tuum peccatum. Sis igitur bono animo, et perge ad sacram Eucharistiam statim suscipiendam. »

HINC :

- QUÆR. 1^o *An peccata involuntarie omissa sint confitenda?*
 2^o *An declaranda sint ante Communionem?*
 3^o *Quid in praxi tenendum, vel suadendum?*
 4^o *An nova absolutio pro peccatis ex oblivione omissis impertiri debeat, sive eidem Confessario, sive alteri confessio fiat?*
 5^o *Quid de utroque Confessario dicendum?*

SOLUTIO :

470. — *R. ad 1^m Quærs. Affirm.* Ratio est, quia oblivio a divini præcepti obligatione excusare nequit. Constat ex proposit. 11^a ab *Alex. VII* damnata. Imo confessio prædictorum peccatorum plurimum differri nequit. ut dicitur in Casu seq. *V. Comp. n. 494 et seq.*

R. ad 2^m Quærs. Neg. probabilius, quia jam remissa sunt indirecte. Remanet tantum obligatio ea confitendi, ad præceptum divinum adimplendum. Proinde, ratione probationis, peccatum Communioni faciendæ non obstat. Insuper, cum remissum fuerit in Sacramento Pœnitentiæ, etiam legi Concilii Tridentini satisfactum est. *S. Lig. — Collet et nunc alii communius. V. Comp. de Eucharist., n. 326.*

471. — *R. ad 3^m Quærs.* Suadendum est omnino ut peccata hæc ex oblivione omissa ante Communionem declarentur, si facilis aditus ad Confessarium pateat, ad majorem animi consolationem. Præterea, cum postea sint accusanda, sane præstat in præsentibus huic oneri satisfacere. Quod enim *debes facere, fac citius,* et in tuum majus commodum cedit. Insuper, dum te accingis ad Communionem faciendam, declaratio peccati tui minus gravis tibi erit.

472. — *R. ad 4^m Quærs.* Sententia communis et tenenda *affirmat.* Ratio est, quia omnia peccata mortalia, ex institutione Christi, clavibus subjicienda sunt, ut directe remittantur. Peccata autem inculpabiliter omissa, licet jam indirecte remissa sint, non tamen vi Sacramenti, seu vi absolutionis, sed tantum vi gratiæ, et concomitanter cum aliis peccatis, remissa sunt. *Sporer, n. 627, etc. — V. Comp. n. 496.*

473. — *R. ad 5^m Quærs.* Damnandus est SEVERINUS, qui sine causa ROSALIAM damnavit. Ex dictis enim nullus erat pro muliere damnationis casus. Tantum igitur suadere debuisset, ut confessio peccati oblivione omissi Communioni præmitteretur, non vero sub gravi præcipere. BENIGNUS in doctrina nullatenus reprehendendus est; potuit enim ita ROSA-

LIAM docere, et ei, ommissa absolutione, Communionem permittere; sed, quoad modum, nimis aperte agendi rationem alterius Confessarii damnavit, et ei contradixit. *Est enim modus in rebus.....*

CASUS XVI.

PECCATA EX OBLIVIONE OMISSA 2^o.

1^o FLAMINIUS, peracta confessione annua, recordatur peccati mortalis in ea involuntarie prætermisisti. Statuit quidem quamprimum confiteri, ut integritati confessionis satisfaciat; sed subinde propositum ad proximum Pentecostes festum distulit. Hac autem accedente solemnitate, FLAMINIUS confessionem iterum in aliud tempus remisit, et adeo invaluit mora, ut confessionem ad Paschale tempus protraxerit. Quare graviter a Confessario objurgatus est, velut gravis culpæ reus.

2^o BARBARA, celato in confessione peccato, cum id Parocho declarare reformidet, alteriusque Confessarii copiam non habeat, frequenter communicare solet, in horrenda consuetudine sacrilegii tabescens. Tandem, occasione apud alterum confitendi data, conscientiæ sordes abstergit. Sed ecce postea ipsius memoriæ occurrit peccatum mortale, in hac ultima confessione involuntarie prætermisisti. Quid faciet misera? Undique ambages! Nec istud peccatum Parocho aperire audeat, et tamen a sacrilegio abhorret. Tantis pressa angustiis, BARBARA persuasum habet se posse de more confiteri et communicare, donec occurrat alia occasio mox adfutura alteri Confessario hoc peccatum patefaciendi. Ita reapse peragit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An peccata involuntarie omissa sint necessario alias quamprimum accusanda; vel quandonam urgeat hæc obligatio?*
 2^o *An possit interponi alia confessio, antequam declarentur?*
 3^o *Quid de utroque casu?*

SOLUTIO :

474. — *R. ad 1^m Quærs.* Peccata ex oblivione in confessione omissa, non sunt necessario quamprimum accusanda, saltem probabilius, sed sufficit ut eorum confessio ad tempus notabile non protrahatur, quia hujusmodi obligatio moraliter accipienda est; et peccata illa habentur instar debiti, cujus solutio non potest diu differri, licet non statim in rigore urgeat. Juxta plures graves Theologos, confessio horum peccatorum remitti potest usquedum urgeat alia confitendi obligatio, si nulla confessio alia libera intercedat. *Bonacina, etc. — V. Comp. n. 495.*

475. — *R. ad 2^m Quærs. Neg.,* quia ad integritatem confessionis requiritur ut pœnitens declaret omnia peccata quorum conscientiam habet; atqui conscientiam habet peccatorum menti occurrentium, nec adhuc

clavibus submissorum, quatenus ratione illorum obligationi confessionis non adhuc satisfecit. Ergo... V. *Comp. ibid.*

476. — *R. ad 3^m Quæst.* — *Ad 1^m casum.* FLAMINIUS optime fecisset, si ad confitendum pro solemnitate Pentecostes accessisset, et peccatum ex oblivione omissum cum aliis nondum patefactis accusasset. An vero ei accusandum sit de peccato præsertim gravi, ex eo quod confessionem tamdiu distulerit? Ex dictis *probabiliter* negandum est. Proinde ipse Confessarius, velut nimis rigiditatis, est arguendus.

R. ad 2^m casum. BARBARA male fecit, quia peccatum nondum accusatum, dum confiteretur, voluntarie sine causa excusante reticuit. Si adeo abhorreat a peccato suo declarando, omittat totaliter confessionem, usquedum adveniat ille Confessarius qui expectatur, et proxime venturus est. Nihil enim urgere videtur, quia non dicitur eam in statu peccati mortalis versari; insuper, non instat tempus annuæ confessionis: proinde ex sola devotione confiteri et communicare statuit.

CASUS XVII.

PŒNITENS LINGUÆ CONFESSARII IGNARUS.

ASCANIUS, natione germanus, linguæ gallicæ prorsus ignarus, nescio qua de causa, iter per Galliam agebat. Secum vero socium ducebat utriusque idiomatis probe scitum. Sed ecce interea, mox decurrente Paschali tempore, obligatio confitendi et communicandi instat. Quid faciet ille? Dubitat utrum confiteri debeat per interpretem, seu per fidelem suum Achatem. Diu hæret anceps, et in dies protrahit utriusque præcepti adimplentionem. Sed, elapso tempore Paschali, ecce repentino morbo correptus, de vita valde periclitatur. Tunc recurrit et adaugetur difficultas. Metu mortis pressus et adactus, mandat, licet ægre, ut Sacerdos requiratur; et per socium, velut interpretem, integram peragit confessionem.

HINC :

QUÆR. 1^o *An ignari idiomatis regionis vel Confessarii per interpretem confiteri teneantur?*

2^o *Quomodo confessio per interpretem fieri possit, quin hic peccata accusata cognoscat?*

3^o *Quid de casu?*

SOLUTIO :

477. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o *Neg.* si agatur tantum de præcepto Ecclesiæ, quia confessio per interpretem est onus gravissimum, quod nullatenus sub lege ecclesiastica cadere censetur. *Ita omnes, ait Concina.*

2^o *Neg.* etiam *probabilius* de præcepto divino, etiam in articulo mortis. Ratio est, quia confiteri per interpretem est onus gravissimum et multis periculis obnoxium, v. g. periculo revelationis, irrisionis, etc. Præter quod nemo tenetur duobus confiteri. Constat enim ex *Concilio Later. c. Omnis utriusque sexus fidelis... solus peccata sua confiteatur.*

Attamen *per accidens* ille obligaretur ad confessionem per interpretem faciendam, qui morti proximus, et conscius peccati mortalis, alio modo nullatenus confiteri posset, et de contritione perfecta dubitaret; quia tunc absolutio illi esset medium ad salutem necessarium. Sed sufficeret, si unum veniale per interpretem diceret. *S. Lig. n. 479.*

478. — *R. ad 2^m Quæst.* Sic fieri potest: 1^o interpretes avertat faciem a pœnitente; 2^o recitet ipsi in suo idiomate interrogationes generales a Confessario alta voce factas, circa præcepta Decalogi et Ecclesiæ; 3^o interea pœnitens ad singulas interrogationes nutu significet Confessario an peccaverit necne, simulque numerum peccatorum digitis promat, ubi se reum cognoscit. *Voit, n. 574.*

Hæc methodus suadenda est peregrinis, qui aliter confiteri nequeunt; sed ex obligatione rigida imponenda non est, quia, licet sic peccata interpretem lateant, est medium extraordinarium, et hujusmodi praxis pœnitenti valde repugnare potest, variisque scatet incommodis.

R. ad 3^m Quæst. ASCANIUS non fuit obligatus ad confitendum per interpretem, etiam in morte, ne quidem ad solum veniale dicendum, excepto casu quo de contritione perfecta dubitaret. Inducendus tamen est ad confitendum per interpretem, modo prædicto, ad tutius atque solatium majus, necnon ad fructum uberiores percipiendum. Si vero possit unum mortale exprimere per se solum, ad id tenetur.

CASUS XVIII.

CONFESSARIUS IDIOMATIS LOCI IGNARUS.

NICOSTRATUS, Sacerdos, magno desiderio salutis animarum se impendendi, in longinquas barbarasque regiones proficiscitur, ut aliis viris apostolicis se comitem adjungat. Sed ecce, mox, ita disponente Providentia, licet linguæ regionis ignarus, solus ingenti provinciæ præficitur. Undique requiritur ut moribundis succurat; sed neque intelligit quid dicant ægrotantes, neque ab ipsis intelligitur. Quid consilii capesset? Ostendit Christi Crucifixi imaginem ægrotis deosculandam, signo eos inducit ad veniam a Deo postulandam, et ad pectus in signum doloris et confessionis percutiendum, eosdemque absolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quomodo Missionarius, ignorans linguam regionis, poterit saltem aliquatenus confessiones excipere?*

2^o *Quid de praxi NICOSTRATI?*

SOLUTIO :

479. — *R. ad 1^m Quæst.* Sequens methodus prædicto Missionario suadenda est: discat Confessarius ex lingua regionis, si nesciat, nomina præcipuorum peccatorum et frequentiorum, eaque enuntiet coram pœnitente qui, ubi opus erit, nutu capitis, aut affirmatione significabit se deliquisse. Ex hoc colliget quænam peccata, saltem in genere, a pœnitente com-

missa fuerint. Cæterum satisfaciunt prædicti pœnitentes, si Confessario manifestent ea pauca peccata quæ declarare possunt. *Ita communiter* Auctores agendo de moribundis qui non possunt integre confiteri quod etiam cæteris casibus urgentis necessitatis convenire potest. *S. Lig. n. 480. — V. Comp. n. 505.* Vide etiam dicenda in casibus sequentibus.

480. — *R. ad 2^m Quæ.* Valet quidem praxis NICOSTRATI, quando absolute alio modo facere non potest. Sed teneat methodum supra indicatam, et res facilius ipsi succedet.

CASUS XIX.

ABSOLUTIO MORIBUNDI SENSIBUS DESTITUTI 1°.

4° SIGEBERTUS, Parochus, advocatur ad PAULINAM, vitæ liberioris mulierem, graviter decumbentem. Cum eam invenisset penitus destitutam sensibus, judicat absolvendam non esse, quamvis, teste ancilla, Sacerdotem desideraverit; monitisque adstantibus de justitia Dei in hanc miseram, suæ parochiæ scandalum, domum gemebundus se recipit.

2° MARIUS, advocatus ad JUSTINAM moribundam, audiensque eam repente apoplexia correptam fuisse, declarat eam absolvi non posse, cum ne de confessione quidem cogitare potuerit. Sed contristatos consolatur parentes, eo quod, cum christiane vixerit, Deus, infinite bonus, misericordiam illi sit tributurus: mors enim, ait, vitæ similis est.

HINC :

QUÆR. 1° *An absolvendi sint quilibet moribundi sensibus destituti, si Sacerdotem desideraverint, vel signum doloris ante ejus adventum ostenderint?*

2° *An absolvendi, si christiane vixerint, non tamen signa doloris præbeant?*

3° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

481. — *R. ad 1^m Quæ. Affirm.* Constat ex Rit. Rom. necnon ex variis Conciliis. Ratio est, quia per testimonium adstantium satis sensibilibiter fit nota confessio infirmi. Fit enim tunc velut confessio per interpretem, cum moribundus censeatur continuare priorem Confessarii petitionem. Sed absolutio conditionaliter concedenda est, quia non constat ægrotantes hujusmodi hic et nunc usu rationis gaudere, et proinde eos actum humanum facere posse, qualis ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur. *V. Comp. n. 506.*

482. — *R. ad 2^m Quæ.* Absolvendi sunt etiam conditionaliter omnes moribundi sensibus destituti, qui christiane vixerunt, etsi nullum dent signum doloris, aut petitionis confessionis. Ratio est, quia in istis aliquo modo præsumi possunt dolor et confessio peccatorum per suspiria, gemitus, varios motus corporis, per anxiam respirationem, etc. Qui enim christiane vivit, præsumitur velle christiane mori. *S. Lig. n. 482.*

Imo eodem modo absolvendi sunt etiam illi qui parum christiane vixerunt. Ratio est, quia etiam in istis potest adesse pœnitentia, et confessio sensibilis. Peccator enim qui male vixit, se ad extrema perductum sentiens, potest bene mori velle, et, donec oppositum probetur, absolutio ipsi impertienda est. Ita recte *Collet* cum aliis.

483. — Objicies cum *Concina* decretum *Societatis Jesu* quo damnatur sequens propositio recensita in catalogo propositionum quæ in scholis ejusdem Soc. doceri non debent (in ordinat. pro schol. sup.): *Moribundus etsi nullum signum det aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat nec prudenter putare possit præcessisse aliquam sensibilem confessionem absolvi potest.*

R. 1° Hæc propositio merito a Societate proscripita est, quia, ut jacet, est simpliciter falsa, saltem *speculative loquendo*; ex ea enim sequeretur quod in omni casu posset absolvi moribundus, etiamsi constaret quod nulla signa confessionis aut doloris daret nec antea dederit. *Ita Lacroix, n. 1162.*

2° Societas prohibuit ne doceretur talis doctrina in suis scholis, quia tunc opposita sententia erat communior.

3° Certum est Jesuitas communiter etiam Romæ absolvere prædictos moribundos, non obstante Societatis decreto, nec reclamante eadem Societate.

484. — *R. ad 3^m Quæ.* 1° SIGEBERTUS prorsus damnandus est, quippe qui tanta inclementia erga miserrimam Christi oviculam perditam usus est. Numquid cum Christo Domino fas ei erit dicere: *Ego sum Pastor bonus?* Sane huic peccatrici succurrere debuisset, in quantum poterat, per conditionatam absolutionem. Etenim evidenter egit contra præscriptum Rit. Romani, quo jubemur absolvere omnes qui Sacerdotem postulant, antequam usu sensuum privarentur.

2° Neque MARIUS muneri suo satisfecit. Etenim, cum agatur de muliere quæ christiane vixit, facile fieri potest ut lucidum intervallum, præsentem Sacerdote, habuerit et aliquo modo confessa fuerit: ergo absolvenda erat JUSTINA. Bene quidem fecit, consolando parentes puellæ, et ejus christianam vitam recolendo; sed multo melius fecisset, et meliori modo afflictos parentes consolatus fuisset, si moribundam beneficio absolutionis donasset.

CASUS XX.

ABSOLUTIO MORIBUNDI SENSIBUS DESTITUTI 2°.

BONIFACIUS, Sacerdos, iter agens incidit in militem qui, in duello confixus, moribundus et sensibus destitutus jacebat, eumque statim absolvit. Deinde iter proseguendo, in hæreticorum regione moribundum offendit in via jacentem, penitus sibi incognitum, et jamjam ultimum spiritum efflaturum. Dubius an hic catholicus esset vel hereticus, eum tamen conditionaliter absolvit.

HINC :

QUÆR. 1° *An absolvi possit ille qui, in ipso actu peccati, sensibus destitutus est?*

2° *Quid de BONIFACIO?*

SOLUTIO :

485. — *R. ad 1^m Quæ.* Etiam illi qui in statu peccati mortalis v. g. adulterii, duelli, ebrietatis, furti, etc., sensibus sunt destituti, cum rigore loquendo eodem modo absolvi possunt, quia fieri potest ut isti lucidum intervallum habeant, Deo reconciliari velint, et suum desiderium ostendant per signa quæ non satis percipiuntur, licet sensibilia sint. *S. Lig. n. 483.*

486. — *R. ad 2^m Quæ.* Quid de BONIFACIO? Ingens premit difficultas, et lis magna inter Theologos hac de re agitur. Quidquid sit, laudandus BONIFACIUS, quippe qui, in quantum poterat, misero peccatori subvenit; absolute enim fieri potest, ut dispositus fuerit et aliquo modo confiteri voluerit. Sed debuit primum ipsi acclamare ut eum ad contritionem diserneret, necnon ad confitendum qualicumque modo adhortaretur, si forte ab ipso audiretur.

487. — *Objicies* : Homo sensibus prorsus destitutus, est incapax Sacramenti Pœnitentiæ, quia nullo modo confiteri potest. Confessio enim debet esse sensibilis; sed ea confessio non est sensibilis, quæ nullo modo apparet. Ergo...

R. Licet moribundus destituatur sensibus externis, sensibus tamen internis, seu usu rationis gaudere potest. Constat ex multis exemplis hominum graviter decumbentium, qui sanitati restituti, testati sunt se intellexisse omnia quæ dicebantur et agebantur circa ipsos, et conatos fuisse per signa et suspiria confiteri et dolorem de peccatis exprimere. Sic de se narrat Theologus *Marchantius* apud *Elbel*, n. 212 :

« Confirmor, ait, in hac ignotorum signorum declaratione, eo quod « mihi semel, extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti, et « per omnia sensuum operatione destituto, contigit. Sensibus omnibus « destitutus eram, excepto auditu; ratione autem et iudicio firmo et recto « utebar intus, ita ut, cum me deficere et ex medico foris loquente et ip- « sius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiæ com- « mendabam, et pium aliquem affectum foris conabar præstare : quare « mirum est, si forte gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris nutu illud « non ostenderim, quamvis adstantes illud non notarent, nisi forte ut erant « signa naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quod, si « quovis modo aliquem catholicum sic oppressum reperirem, nec signum « aliquod mihi intelligibile dari posset, nihilominus sub conditione ab- « solverem, ex eo quod forte aliquod signum pœnitentiæ edat, etsi mihi « incognitum. »

CASUS XXI.

ABSOLUTIO HÆRETICI MORIENTIS 1^o.

OLIVARIUS, Sacerdos, iter agens per loca hæreticorum, cum in hospitium divertisset, ecce! incidit in hæreticum moribundum, sensibus destitutum et cum morte jam luctantem. Ignorat an fuerit hæreticus materialis vel formalis, an usu rationis gaudeat necne : quid faciet? Perplexitate primum torquetur; sed cum periculum sit in mora, mox insinuato et acclamato actu doloris de peccatis et desiderio confessionis, eum conditionaliter absolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An absolvi possit conditionaliter hæreticus materialis sensibus destitutus?*

2^o *An recte egerit OLIVARIUS?*

SOLUTIO :

488. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirm. probabiliter.* Ratio est, quia præsumi potest aliquatenus quod, hic et nunc veritatem agnoscens, velit in Religione catholica mori, et consequenter confiteri et absolvi; hoc enim absolute fieri potest. Nonne unus talis inter centum millia potest reperiri? Deinde, in casu necessitatis licet uti opinione etiam tenuiter probabili in favorem hominis periclitantis. Juxta alios, hæreticus materialis absolvi potest, quia vult implicite Sacramentum Pœnitentiæ recipere, cum omnia ad salutem necessaria admittere velit. *Lacroix*, n. 1866. — *Elbel*, n. 212 et 216. — *Reuter, neo-Confessarius*, n. 203.

Negant tamen plures cum *S. Lig. n. 483 in fine*, nisi hæreticus absolute expresse petat, quia talis homo nunquam præsumi potest dare signa doloris in ordine ad confessionem a qua summopere abhorret.

489. — *R. ad 2^m Quæ.* Laudandus OLIVARIUS, quippe qui, quo meliori modo potuit, saluti hæretici providit. Non constabat enim esse hæreticum formalem, et poterat haberi spes aliqua, licet tenuissima, valoris absolute solutionis ipsi conferendæ.

CASUS XXII.

ABSOLUTIO HÆRETICI MORIENTIS 2^o.

CÆSARINUS, hæreticus, homo bene morigeratus, et qui videbatur materialiter tantum errasse, morbo gravissimo correptus, jam ad extrema pervenerat, quin tamen rationis usu fuerit destitutus. Id inaudiens SYLVANUS, loci Parochus, confestim se ad eum contulit ut ejus saluti æternæ consuleret, et eumdem in hunc modum allocutus est : *Dic mihi, mi bone, nonne in Religione lutherana permanes, quia illam veram existimas? Nonne illam statim relinques, si falsam putares? Nonne confiteris Deo te peccasse, et vis confiteri homini qui te possit absolvere? Nonne mihi confitereris, si scires te debere hoc facere?* Ad singula annuit æger..., et Sacerdos ait : *Si est sufficiens ista confessio, ego te absolvo*, etc. — *Ex Gobat et Elbel.*

HINC :

QUÆR. 1^o *An absolvi possit hæreticus materialis, sensibus adhuc gaudent, et bona fide recusans Religionem Catholicam amplecti?*

2^o *An recte egerit Confessarius in proposito casu?*